



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

II. De specie prædicabili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

propositionem apponimus intendentes veram propositionem definiri.

6 Dices nunquam Porphyrium speciem secundum se quatenus abstrahit à multiplici, & predicabili definisse, quod mea parum refert: sic ego speciem infimam metaphysicè sumptam quatenus abstrahit à subiicibili & predicabili definio, natura essentialiter completa intentionaliter indiuisa, & physice diuisa in plura indiuidua non notabiliter differentia. Per illam particulam non notabiliter differentia, excludo indiuidua specie differentia, quin utar verbo species ne nomine definiti utar in definitione, illa enim indiuidua dicuntur specie differre, quæ secundum se notabiliter differunt, ut probabo Controuers. I. de anima Punct. 8. Per illam particulam essentialiter completa excludo ab hac definitione differentiam infimam, quæ tantum dicit partem essentiae. Species secundum se abstrahens à subiicibili, & predicabili, & subalterna, & infima cum vniuersali metaphysico confunditur, & ideo forsitan Porphyrius omisit definitionem speciei secundum hanc latitudinem, quia supponebat definitionem vniuersalis, videlicet *unum in multis*.

7 Iuxta actum, quo fit species subiicibilis dicendum est fieri per simplicem comparisonem, quæ instat vnius comparatur ad genus simili ratione, quæ diximus genus fieri per simplicem comparisonem ad inferiora. Difficultas est an possit fieri per iudicium, seu an maneat species formaliter subiicibilis in hac prædicatione *homo est animal*. Vnum in hac definitione certum est, amissa vnitate speciei subiicibilis destrui speciem & consequenter speciem subiicibilem, quapropter videndum est, an in hac prædicatione *homo est animal*, species maneat vna in se continens confusè indiuidua, ita ut absque vlla distinctione instat vnius simplicis entitatis appareant, quod si ita permanferit manebit species actu subiecta, & subiicibilis; si autem hanc vnitatem amittat, non manebit species, sed tantum subiecta dicetur ratione inferiorum, quæ in se continebat vt subiicibilis antecedenter ad prædicationem. An verò hanc vnitatem amittat vel non, tractauit Controuers. 3. Punct. 8. num. 4. vbi disputauit an in prædicatione naturæ vniuersalis de natura vniuersali maneat vna, & dixi per hanc prædicationem *homo est rationalis*, posse enunciari prædicatum de indiuiduis subiectis, & formaliter huic æquialere *omnis homo est rationalis*, & tunc naturam non manere vniuersalem neque vnā, & posse collectionem rationalium per modum vnius enunciari de collectione hominum, & tunc naturam retinere vnitatem, & vniuersalitatem. Eadem ratione posse collectionem animalium instat vnius entitatis indiuidua apprehensæ prædicari de collectione hominum apprehensæ instat vnius entitatis, & tunc speciem retinere vnitatem, & esse speciem subiicibilem, & actu subiectam, posse verò alio actu enunciari de indiuiduis contentis in collectione hominum indiuidua, quæ illis correspondent in collectione animalium; quæ ratione fit in hoc actu *omnis homo est animal*, & tunc speciem amittere suam vnitatem, & subiicibilitatem, quam antea habebat.

8 Inquiri solet an eodem actu comparetur species generi tanquam inferior superiori, quo comparatur genus speciei tanquam superior inferiori, Affirmat Hurtadus disp. 5. sect. 1. melius tamen negat Arriaga, disp. 7. sect. 2. Ratio est, quia per actum, quo comparatur natura generica ad speciem, natura generica apprehenditur in recto & specifica in obliquo; per actum verò, quo comparatur natura specifica ad genericam, natura specifica apprehenditur in recto, & generica in obliquo, & formalitates predicabiles, & subiicibilis de inferiori distinguuntur, sicuti distinguuntur formalitates actiui, & passui, licet enim per eandem entitatem, seu causalitatem constituantur vnum principium agens, & alterum patiens, hæc entitas supponit in principio actiui virtutem formaliter distinctam à principio passiuo, & in passio virtutem passiuam distinctam formaliter à principio actiuo, similiter licet sit eadem enunciatio, per quam constituitur natura superior prædicatum, & inferior subiectum, hæc supponit in extremis distinctas formalitates, ex vi quarum natura superior apta est prædicari de inferiori, & inferior apta est subiici superiori.

9 Inquiri etiam potest an prædicatum specificum abstraham ab vno indiuiduo possit dici species subiicibilis. Ref-

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

pondeo prædicatum illud esse subiicibile generi, quia de illo potest genus prædicari, propriè tamen non dici speciem subiicibilem, quia non dicit vnitatem intentionalem multis communem, posse autem dici speciem negatiuè eà ratione quæ dixi Controu. 3. Punct. 7. naturam sic abstractam negatiuè posse dici vniuersalem.

Vltimò inquiritur, an species subiicibilis vt subiicibilis sit vniuersalis. Respondeo speciem subiicibilem includere pro materiali vnitatem intentionalem, ex vi cuius ea, quæ in se sunt plura instat vnius apprehenduntur, quæ est forma vniuersalis metaphysicè, pro formali autem non esse vniuersalem, quia respectus naturæ vniuersalis, est respectus naturæ superioris ad inferiora, respectus autem speciei subiicibilis est respectus naturæ inferioris ad superius. Declaratur eadem ratio: species vt subiicibilis respicit superius, sed ad rationem vniuersalis impertinens est respectus ad aliud superius: ergo species subiicibilis vt subiicibilis includit respectum impertinentem se habentem ad rationem vniuersalis: ergo formaliter ex vi illius respectus non est vniuersalis. Consultò non dixi respectum subiicibilis, & inferioris opponi cum respectu predicabilis, & superioris, quia licet detur hæc oppositio in respectibus ad subiectum indiuisibiliter idem, & terminum eundem indiuisibiliter, non tamen datur respectu eiusdem subiecti in ordine ad diuersos terminos, & eadem species, quæ habet respectum subiicibilis, in ordine ad genus, habet respectum predicabilis in ordine ad inferiora.

Obiicies: Quodlibet inferius participat rationem sui superioris: sed species subiicibilis est inferior vniuersali, & species illius: ergo participat rationem vniuersalis, & est vniuersalis. Respondeo quodlibet inferius participare rationem sui superioris, non tamen formaliter quatenus est inferius & subiectum sui superioris, quia hoc quod est esse inferius supponit iam naturam participatam, non enim homo est viuens sensibile, quia est inferior animali, sed quia est viuens sensibile denominatur inferior animali, quæ denominatio cadit supra naturam superioris iam participatam, ac proinde ex vi illius non habet superioris naturam, sed iam cum illa præsupponitur præcisè quatenus homo, & non quatenus inferior animali. Sic contingit in specie, quæ intrinsecè participat rationem sui superioris, & constituitur vniuersalis per se ipsam, & postea per denominationem illi superadditam extrinsecè denominatur subiicibilis, ex vi cuius denominationis non habet vniuersalitatem, seu naturam sui superioris, sed iam cum illa præsupponitur præcisè quatenus est species. Ad argumentum in forma respondeo distinguendo maiorem. Quodlibet inferius participat rationem sui superioris materialiter sumptam, concedo: formaliter vt inferius est, nego. Deinde concessa minori distinguo consequens: ergo species subiicibilis est vniuersalis: materialiter, concedo: formaliter vt subiicibilis, nego.

Instabis: species subiicibilis prædicatur de hac, & illa specie subiicibili: ergo species subiicibilis est vniuersalis. Respondeo speciem subiicibilem formaliter vt subiicibilem, seu vt respicientem genus aliquod superius de nullo prædicari, sed esse subiectum, de quo genus superius prædicatur, sed tantum sumptam materialiter, quatenus subiaceret alij denominationi, ex vi cuius consideratur in ordine ad inferiora: ipsa enim formalitas subiicibilitatis potest considerari non in ordine ad illud prædicatum superius, cui subiicit speciem, sed in ordine ad aliquas species indiuiduas, in quibus reperitur in ordine ad quas potest denominationem vniuersalis subire.

PUNCTUM II.

De specie predicabili.

Species quæ secundum prædicabile constituit, formaliter vt predicabilis à Porphyrio definitur quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid. Per hanc definitionem differt species formaliter vt predicabilis ab ipsa vt subiicibili, quia subiicibilis, vt subiicibilis de nullo prædicatur. Differt à differentia, proprio, & accidenti per hoc quod est prædicari in quid purè, quia differentia prædicatur in quale quid, & proprium, & accidens purè in quale. Differt etiam differentia à genere,

genere, quia species prædicatur ut tota essentia, & genus est pars, quæ differentia explicatur per hoc quod est prædicari tantum de pluribus differentibus in quid purè, cum quo modo prædicandi non componitur prædicari ut partem formalem, quia hæc prædicatur in quale quid, neque ut partem materialem, quia hæc non tantum prædicatur de pluribus differentibus numero, sed etiam de pluribus differentibus specie, ex quo necessariò inferitur prædicari ut totum, quia id quod non prædicatur ut pars formalis, neque ut pars materialis, ut totum prædicari necesse est, cum nullus alius superfit prædicandi modus.

2 Dixi differentiam speciei respectu generis explicandam esse per hoc quod est prædicari tantum de pluribus differentibus numero, licet verbum tantum in definitione non sit expressum, quod subintelligendum est, & virtualiter dicitur eo ipso, quod species tantum explicetur per ordinem ad indiuidua, quia si de speciebus prædicabilis esset, non specialiter in ordine ad indiuidua illi prædicabilitas adscriberetur, sed definiretur sicuti genus definitur in ordine ad plura specie differentia, nulla mentione facta de indiuiduis. Fateor aptius & facilius speciem esse definiendam, quod prædicatur de pluribus, ut tota illorum essentia.

3 Obiicies: species non dicit differentias indiuiduales. Sed differentie indiuiduales sunt de essentia indiuidui: ergo species non dicit totam essentiam indiuidui. Laborant plurimi, ut defendant differentias indiuiduales non esse de essentia indiuidui, quod difficile sanè est, quia sicut per differentiam specificam constituitur species, sic per differentiam indiuidualem indiuiduum: ergo sicut differentia specifica est essentialis speciei, ita differentia indiuidualis indiuiduo. Secundò quia illud est de essentia cuiusvis rei, per quod res constituitur in esse talis, sed indiuiduum constituitur in esse talis per differentias indiuiduales: ergo differentie indiuiduales sunt de essentia indiuidui. Respondeo admittendo differentias indiuiduales esse de essentia indiuidui, & has non exprimi in prædicato specifico, nego tamen ideo esse adequatam prædicationem speciei, quia licet non dicat essentiam indiuidui, dicit totam essentiam prædicabilem; quæ tantum est essentia Logica, de qua agitur in præfenti, ex eo enim (quidquid sit de differentibus indiuidualibus) differt species à genere, quia species dicit totam essentiam prædicabilem, & multis communem, quæ in subiecto reperitur, quam non dicit genus, neque vilius aliud prædicabile.

4 Hic inquitur, an species prædicabilis requirat plura indiuidua numero distincta: quam questionem definiui Controu. 3. Punct. 7. ubi dixi naturam ab vno indiuiduo abstractam non esse vniuersalem. Veruntamen in hoc loco specialius difficultatem hanc exagitant auctores occasione de sumpta ex quadam Thomistarum opinione asserente omnes Angelos numero distinctos specie esse differentes. Pro sententia asserente nullam esse speciem cui repugnet indiuiduorum multiplicitas, quam plures auctores, in quibus est S. Thomas quem refert Hurtad. disp. 5. sect. 2. sublect. 3. veruntamen ab hac questione modò Logicum agens me abstinco, & disputationis gratià admittis his speciebus, quibus, indiuiduorum multiplicitas repugnet, ad questionem Logicam accedo & disputo an species istæ vniuersales essent.

5 Caietanus cap. 4. de ente, & essentia, & cap. 4. de specie docuit tales species vniuersales esse. Oppositam sententiam docuit S. Thomas ut bene suadet Hurtadus supra & persuadent testimonia adducta à Petro Bergomeni, verbo Species num. 1. eandemque amplectuntur omnes ferè auctores, quibus subscribo. Probari potest hæc sententia iuxta Thomistarum principia ex eo, quod conceptus specificus talis naturæ præcendibilis non esset à differentia indiuiduali, quia iuxta Thomistarum dogma omnis indiuiduatio distincta à principio specifico sumitur per connotationem ad materiam. Sed huiusmodi naturæ angelicæ non habent materiam: ergo in his non posset dari indiuiduatio distincta à conceptu specifico: ergo conceptus specificus, & indiuiduus esset idem formaliter. Sed conceptus indiuiduus non esset multis communis: ergo neque specificus. Veruntamen hoc fundamento omisso, quia licet ad homines efficax sit, iuxta communia principia non ita facile probari posset, cum natura illa haberet prædicatum specificum, quod posset ab indiuiduali præcendi per hoc quod est esse principium operationum notabiliter differentium ab operationibus aliarum specie-

rum, quod proprium non est naturæ indiuidualis: paucis veram sententiam efficacissimè probo. Vniuersale est vnum aptum esse in multis: sed illa natura non esset apta esse in multis: ergo non esse vniuersalis: ergo non esset species vniuersalis. Maior continet definitionem vniuersalis ab omnibus admittam: minor nequit negari, quia supponimus naturam non esse multiplicabilem in plura indiuidua, sed vnicò contineri: ergo de hoc tantum poterit prædicari, sicuti conceptus naturæ diuinæ, seu hic conceptus Deus vniuersalis non est neque de pluribus prædicari potest, quia tantum potest dari vnus Deus. Vtræque consequutio est legitima, prior ex terminorum dispositione, posterior, quia in illa arguitur negatiuè ex superiori ad inferius.

6 Respondent Thomistæ naturam Michaelis immultiplicabilem in plura indiuidua posse apprehendi communem aliis indiuiduis ab intellectu confectis in ordine ad quæ esset vniuersalis. Possent eadem ratione dicere Thomistæ intellectum fingere alios Deos chimericos distinctos à Deo Optimo Maximo, & respectu habito ad Deos factos naturam diuinam esse de multis prædicabilem: & sicuti hoc fundamento absolute afferunt, naturam Michaelis in ipsorum sententia immultiplicabilem in plura indiuidua esse vniuersalem, eodem asserere naturam diuinam vniuersalem esse, quod male audiret apud omnes. Aliter solutionem impugnat natura Michaelis prædicabilis de Michaeli vero, & de Michaeli ficto, deberet abstrahi à Michaeli vero, & à ficto, quia abstracta tantum à Michaeli vero de illo tantum posset prædicari: de illis enim indiuiduis prædicatur conceptus abstractus, à quibus fuit abstractus, & in quibus reperitur, & natura tantum abstracta à Petro, de Ioanne non prædicatur, ut ex toto vniuersalium opere constat: ergo in illo conceptu abstracto non tantum contineretur verum prædicatum specificum Michaelis, sed fictum prædicatum specificum Michaelis ficti: ergo illud vniuersale non esset tantum natura Michaelis veri immultiplicabilis in plura indiuidua, sed quoddam aggregatum huius naturæ, & aliarum, quas fingeret intellectus: ergo hæc natura vera veri Michaelis ut distincta ab aliis fictis, quantumvis præcinderetur, nunquam posset esse subiectum adequatum, cui contingeret vniuersalitas: ergo non esset vniuersalis. Habemus ergo veram naturam immultiplicabilem in plura indiuidua ut distinctam à reliquis nullâ mentis præcisione posse fieri vniuersalem, quod in præfenti disputamus, non enim est questio an ex natura vera multiplicabili, & alia natura ficta possit fieri vniuersale fictum ab intellectu: sed an hæc natura vera immultiplicabilis in indiuidua sine consortio aliarum naturarum possit purè præcisionis beneficio ab intellectu vniuersalis constitui.

7 Dices naturam abstractam tantum à Michaeli vero posse prædicari de Michaeli ficto, etsi propositione non vera. Contra: si essentia vniuersalis posset constare prædicabilitate in ordine ad propositiones falsas, nullus conceptus excogitabilis est, qui non sit vniuersalis, quilibet enim, quem tu assignes propositionibus falsis potest de quocumque ente excogitabili prædicari.

8 Obiiciunt Thomistæ: species Angelorum ponuntur in prædicamento: ergo sunt vniuersales. Concederem ego gratis consequens, & ex illo inferrem contra Thomistas naturas specificas Angelorum multiplicabiles esse in plura indiuidua. Quod si dum nobis hoc obiiciunt argumentum, illius sibi querant solutionem, respondeo, poni in prædicamento, quia habent genera supremum, intermedia, & infimum vniuersalia, & speciem infimam prædicabilem de vno, quæ vniuersalis non est, sicut enim in reliquis prædicamentis ponitur indiuiduum vltimum, quod vniuersale non est, sic in hac sententia ponitur species infima, etsi vniuersalis non sit.

9 Obiiciunt secundò: Natura Gabrielis, & natura Michaelis differunt specie: ergo habent genus & differentiam: ergo sunt vniuersales. Concedo antecedens, & distinguo primum consequens: habent differentiam communem multis indiuiduis, nego consequentiam: conuenientem tantum vni indiuiduo, concedo consequentiam: ergo est vniuersalis, nego consequentiam.

10 Obiiciunt tertio: Intellectus apprehendit res spirituales instar materialium: sed naturam specificam materialem apprehendit ut communem multis: ergo & spirituales. Respondeo intellectum apprehendere res spirituales instar

instar materialium seruatis seruandis, quia non apprehendit in spiritualibus predicata, quæ illi repugnant, non enim ex eo quod instar substantiæ materialis spiritualem apprehendat, & materialis substantia sit impenetrabilis, apprehendo ego substantiam spiritualemente impenetrabilem, quod si id apprehendam per fictionem, impenetrabilem impingam spirituali substantiæ, ex vi cuius non negabo speciei immultiplicabili vniuersalitatem attribui, id enim mihi suadent Thomiste huiusmodi speciem vniuersalem esse eodem iure, quo asserere possent ecclesiam Petri, seu Petreitatem esse vniuersalem, & supremum genus in predicamento substantiæ. Addo intellectum apprehendere substantias spirituales instar materialium in ordine ad hæc accidentia corporea, quæ sensibus percipiuntur, non verò in ordine ad vniuersalitatem neque alia accidentia, quæ sensibus non percipiuntur. Demum etsi intellectus ex eo, quod res spirituales instar materialium cognoscit, speciem illam instar vniuersalis apprehenderet, non illam ut vniuersalem apprehenderet, aliud enim est apprehendere Angelum instar iuuenis, aliud apprehendere Angelum formaliter ut iuuenem.

Obiiciunt quartò: Species illa abstracta à differentia individuali non est singularis: ergo vniuersalis. Respondeo speciem illam ex parte obiecti indiuiduum esse, & ex parte actus neque apprehendi possit ut vniuersalem, neque ut singularem, sed posse dici singularem negatiuè. Vide quæ dixi Cont. 3. Punct. 7. de natura abstracta ab vno indiuiduo, quæ eodem modo de hac substantia sunt intelligenda.

Inquiri etiam solet, an tota ratio specifica reperitur in singulis indiuiduis nature multiplicabilis in plura indiuidua. Diximus naturam vniuersalem dicere aggregatum omnium indiuiduorum iuxta sententiam non præcindentium ex parte actus, & iuxta præcindentium in aggregato rationum abstractarum. Ex quo manifestè infertur omnem speciem non posse esse in singulari indiuiduo, cum in illo non sint reliqua indiuidua ab ipso distincta, neque rationes non ab ipso, sed ab aliis abstractas. Dicendum ergo est in quolibet indiuiduo non requiri totam speciem extensiuè, dici autem solet intensiuè reperiri in vnoquoque omnem perfectionem essentialem, quia perfectiones essentielles omnium indiuiduorum numero tantum, & non in aliquo prædicato essentiali vniuersaliusque indiuidui perfectionem vincunt.

PUNCTUM III.

De indiuiduo primò intentionaliter sumpto.

Indiuiduum definitum fuit à Porphyrio cap. de specie, *genus collectio proprietatum, quæ in vno sunt in alio reperi nequeunt.* Harum proprietatum collectio his versiculiscōtingitur:

Forma, figura, locus, stipes, nomen, patria, tempus, Vnum perperna reddere lege solet.

Hæ proprietates indiuiduo extrinsecæ sunt, & ita definitio per illas exhibitæ tantum est descriptiua data per signa, quæ arguunt differentiam indiuidualem, ex vi cuius indiuiduum constituitur, non per aliquid, quod formaliter indiuiduum constituat. Neque hæc definitio comprehendit omnia indiuidua, sed tantum humana, quibus solum competunt aliquæ ex proprietatibus in definitione adductis, quia bruta non dicuntur habere patriam, & communiter nomina non habent, & indiuidua non sensitiua raro patriam, aut nomine donantur. Melius indiuiduum definiuit Angelicus Doctor 1. part. quæst. 29. art. 4. *indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio*, id est, cui repugnat multiplicari in plura, quæ sunt idem cum ipso. Ex hoc deprehendes differentiam inter indiuisum modo dicto, indiuisibile, & diuisibile: diuisibile dicitur, quod habet partes, in quas potest secari, indiuisibile est, quod his partibus non componitur, sed simpliciter dicitur entitatem, indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, seu indiuiduum est, quod nequit diuidi in ea, quæ inter se sunt distincta secundum naturam, quorum quodlibet secundum eandem naturam adæquatè cum diuiso identificetur. Inferes similiter indiuiduum esse idem, ac vnum numericè, & differentiam indiuidualem importare formaliter vnitatem indiuidualem omne ens transcendente. Multa habes Controu. 2. Metaph. Punct. 3. ubi definitio an importet aliquid positum, vel negatum, quomodo distinguatur à reliquis gradibus,

Franc. de Cuiedo, Philosoph. Tom. I.

quam indistinctionem importet, & omnia tracto, quæ desiderari possunt ad perfectam cognitionem differentie indiuidualis, & indiuidui, ex vi illius constituti.

Vna tantum superest questio ad Logicum spectans, quam hic definiam. An videlicet ab omnibus indiuiduis primò intentionaliter sumptis, seu secundum id, quod intrinsecè important possit abstrahi communis aliqua ratio. Negant P. Fonseca 5. Metaph. cap. 6. quæst. 5. sect. 4. P. Toletus cap. de specie Sorus & alij ex antiquis ibid. Affirmatiuam partem tuentur S. Thom. 1. part. quæst. 30. art. 4. Scotus in 1. distinct. 23. quæst. vnica. Hurtad. disp. 5. sect. 7. Arriaga disp. 7. sect. 2. Merinero cap. 3. de specie disp. 2. quæst. 1.

Sciendum est questionem non esse an à Petro & Ioanne, qui sunt indiuidua nature humane, possit abstrahi aliqua ratio essentialis, seu specifica, in qua conueniant, certum enim est ab vtroque abstrahi rationem hominis, sed an ab indiuiduis quatenus formaliter sunt indiuidua possit abstrahi aliqua ratio, quæ illis competat, ratione differentie indiuidualis, quod est inquirere, an à differentia indiuiduali Petri, & à differentia indiuiduali Ioannis possit abstrahi aliqua communis ratio, sicuti cum inquiritur an ab albo, & nigro formaliter sumptis possit abstrahi ratio communis, idem est ac inquirere, an ab albedine, & nigredine communis ratio possit abstrahi. In hunc sensum quæstionem definiuit subtilis Doctor loco supra citato his verbis: *Potest dici, quod ab indiuiduis potest abstrahi species, quæ dicitur quidditatem indiuiduorum, sed etiam aliquid quoddam proprium.*

Insuper in memoriam sunt reuocandæ duæ opiniones, quædam præcindens tantum ex parte actus præcisè per confusionem plurium singularium, absque eo quod intellectus ex vi præcisionis partiatur duas formalitates, quandam quam attingit, & aliam quam omittit. Alia est opinio præcindens ex parte obiecti, iuxta quam præcisio non consistit tantum in confusione singularium, à quibus præcindi dicitur ratio aliqua communis, sed necessariò debet attingere vnā formalitatem, & aliam omittit utramque contentam in illo inferiori, à quo dicitur abstrahi rationem communem separando illam ab alia formalitate, quæ in inferiori continetur, & ex vi præcisionis cognitionis non attingitur. Rem explico in opinione præcindente ex parte actus, ad hoc ut præcindatur ab homine, & equo ratio communis tantum requiritur species hominis, & equi inter se confundi cognitione respondente huic voci *animal*, & ita iuxta hanc sententiam tantum est necessarium assignari vnā rationem abstractam, & inferiora, à quibus abstrahitur ex parte obiecti, neque inadæquatè distincta, si omnia simul sumantur, à ratione, quæ abstracta concipitur. In opinione autem præcindente ex parte obiecti debent assignari inferiora, à quibus abstrahitur ratio abstracta ex parte obiecti inadæquatè distincta ab inferioribus, ratio alia quæ in inferioribus includitur, & ab illis inadæquatè distincta, quæ per cognitionem præcisiuam non attingitur, exempli gratia abstrahitur ratio animalis ab homine, & equo, in qua abstractione inferiora intercedere necesse est tanquam materiam, à qua abstrahitur, vel potius extrahitur ratio animalis inadæquatè distincta ab inferioribus, inferiora enim formaliter sunt animal rationale, & animal hinnibile, & ratio abstracta tantum est animal, dantur item differentie inadæquatè distinctæ ab inferioribus in quibus includuntur, quia inferiora sunt animal rationale, & animal hinnibile, & differentie tantum sunt rationale, & hinnibile, quæ differentie sunt formaliter condistinctæ à ratione abstracta, & ex vi cognitionis præcindentis non attinguntur.

Ex hoc fit omnia inferiora, à quibus ratio aliqua communis abstrahitur debere esse resoluibilia in duas formalitates ex parte obiecti per intellectum formaliter distinctas, quarum altera communis sit omnibus inferioribus, & cognitione præcindente attingatur, & altera sit propria cuiuslibet inferiori, & in quocumque illorum distincta, quæ non attingatur per cognitionem præcindentem. Ob has formalitates, in quibus homo, & equus possunt resolui, ab illis opinio ex parte obiecti præcindens rationem communem abstrahit, homo enim resoluitur in animal rationale, equus in animal hinnibile, & cognitio præcindentis rationem communem homini, & equo, in homine attingit animal, & omittit rationale, & in equo attingit animal, & omittit hinnibile, quod est præcindere, seu separare animal à

I 3 differen